DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum die Sabbati secundâ Decembris M. DCC. XLI.

M. JOANNE-JACOBO BELLETESTE,
Doctore Medico, Præside.

An morbis curandis faveat aëris ægrum ambientis ritè moderata temperies?

I.



SI hominum, licet sanorum, ea est debilitas ut vel minimis causis eorum mutari possit conditio, morbosque suscipere queant, facilè intelligitur quanta ex parte medici attentione opus sit circà ægrotantes (*a*) qui, ut potè viribus morbo jam fractis, imbecilliores, longè citiùs affici queunt, & quælibet incommoda graviùs persentiunt. Vix enim credibile est, ni quotiadianâ constaret experientiâ, quam sensibiles sint. Ab omnibus læduntur, affliguntur, illorum mens vel minimis turbatur, corpus immutatur, morbus exacerbatur, quin etiam lethalis fieri potest. Sunt quos sonus, murmur, color, odor, objectum quoddam singulare ità commovent, ut ab iis miras aliquandò experiantur anxietates, plurimùm exagitentur, delirium etiam superveniat, aut si adsit, notabiliter augeatur. Medici igitur officio convenit, ut in curandis morbis quæ ægris noxæ aut incommodo esse poterunt, ab iis sedulò removeat; quæ verò quodammodo profutura autumabit, eâdem curâ admoveat: nec erubescat, si suam ad minima etiam extendere debeat attentionem, cum apud ægrotos nihil parvi faciendum sit, sed vel leviora magni momenti esse possint. Hinc non modò victûs ægrorum, & temperamenti, sed etiam consuetudinum rationem medicis habendam esse passim apud authores affirmatur. Quòd si tanta requiratur diligentia circà ea quæ sanitatem non dico labefactare, sed vix afficere posse viderentur, quantò magis invigilandum est iis quæ variis suis statibus corpus sensibiliter immutare possunt. Inter ea autem primus meritò annumerandus est aër. Quippè, qui liquorum crasim invertere, solidorum elaterem variare, sicque totius corporis statum alterare valet, ritè vel malè moderatus, morborum curationi necessario favere vel nocere debet.

(*a*) *Vid.* Cæl. Aurelian. lib. 2. de morb. chronic. cap. 13. de curatione. Eadé omnibus methodicis doctrina fuit, ut patet ex eodem authore.
Sennert. de diœtâ in febrib. puttid. l. 11. c. 9. qualis esse aër in febrib. debeat satis explicat.
Riveri de frigidâ cerebri intemperie & de febrib. putrid. contin. lib. 17. cap. 1.
Boeth. aphor. de morb. intern.

I I.

UT corpus humanum ex duplici parte, fluidis nempè & solidis constat, sic ex iis ritè vel malè se habentibus, totius sanitas vel morbus. Quando debitâ vi & actione præditi canales, fluida legitimè dispostita vehunt, tunc nec tensiores fibræ liquida violentiùs percutiunt, nec laxiores molliùs promovent: liquores autem

nimium non pulsi in fibras justo violentiùs non impingunt. Placidè facilèque procedit liquidorum circuitus, nullus infarctûs, nullus obstructionis imminet metus; ritè peraguntur quotquot sunt secretiones, integra viscera integras functiones exercent, viget mens sana, vigent sensus, aptè sensationes excipiunt redduntque, nullus nec doloris, nec molestiæ, nec anxietatis percipitur sensus, floret deniquè sanitas. Afficiturne fluidorum solidorumve alterutrum? Omnia statim invertuntur; perit ille liquores inter & fibras consensus quo tota velut columnâ nititur animalis œconomia; in motus irregulares aguntur fibræ, inordinatèque liquida propellunt, aut inertes iis movendis vix sufficiunt; liquida debitum servare cursum nescia huc & illuc temerè discurrunt, aut canalibus permeandis inepta, obstructiones, omnium ferè morborum ipsiusque mortis causas, pariunt. Ruit igitur omnis sanitas, perversa fit liquorum circulatio, discruciant dolores, angores, lancinationes, functiones depravantur, sistuntur aut immodicè fluunt secretiones, pereunt sensus, mens debilitatur, his deniquè miserum mors imponit finem. His omnibus à variis solidorum fluidorumve affectibus oriri demonstratis, & cum morborum causæ in alterutro horum semper degant, patet omni ope annitendum esse medico, ut ea quot quot poterit auxiliis ad requisitum revocet statum. Arceat igitur quæcumque liquorum fibrarumve qualitates deficientes similibus fovendo, morbos, ut ità dicam, enutrirent; è contrà verò ea admoveat quæ contrariâ suâ naturâ perverso partium morbosarum statui officiendo, morbos pro parte expugnare valent. Maximam itaquè exposcit attentionem aëris quem spirat æger temperies, quippè cujus tanta sit potentia ut pro variâ suâ indole partes corporis nostri solidas & fluidas in varios etiam status adducere queat.

III.

CUM enim ea sit aëris natura, ut corpora etiam inanimata & solidissima, ipsius tamen mutationes persentiant, quænam esse debet ejus vis ad afficienda corpora viventia, quæ canalibus ubique pervia, ipsum cum liquoribus suis quòcunque deferunt? Aër etenim non solum exteriori corporis nostri superficiei incumbit, ubi respirationi inserviens perenni inspirationis & expirationis motu pulmones subit, ex iisque emittitur, ubi pondere suo vasa aliter ultrà modum distentionem passûra comprimit, illorumve elaterem & actionem in liquida sustinet; verùm etiam in minimos corporis recessus penetrat, cum alimentis exhauritur, simul cum iis sanguini immiscetur, cum singulis liquoribus per vasa volvitur. Quid enim opus esset referre tot experimenta quibus maximam ex quovis humani corporis liquore, chylo, sanguine, &c. aëris quantitatem extrahi compertum est? Non mirum itaquè si elementum quod cum omnibus corporibus commiscetur, quod eorum omnes occupat poros, quod in penetralia eorum sese insinuat, eorumque singulas afficit partes, tantam in corpora nostra, utpotè fragilissima & maximè caduca, actionem exerceat; præcipuè si varias aëris qualitates, varias quas inducere & communicare potest mutationes sedulò inquiramus. Ut enim omittamus depravationes quas experitur quotidiè ab exhalationum & miasmatum miscelâ, quibus inquinatus tam horridas sæpissimè parit strages, quot malis corpora nostra afficit solâ qualitatum suarum mutatione? Aër nimiùm calidus omnes corporis nostri tenuiores dissipat liquores, transpirationem, reseratis poris, enormem excitat, moleculas fluidorum vehiculo orbatas condensat, motui ineptas reddit: hinc obstructiones inflammatoriæ, febres ardentes, peripneumoniæ siccæ, innumerabilesque exoriuntur morbi. Refrigescit-ne? mutatur tantummodo malorum facies. Fibras pulmonum, totiusque habitûs corporis frigore suo constringit, arctantur pori, coercetur transpiratio, repelluntur humores ad interiora corporis, quibus si nimiâ quantitate repressis graventur viscera, in morbos inflammatorios, citò incidunt, aut obstructa in tumorem attolluntur, aut relaxata, amissoque robore, enormes pariunt fluxus, nonnisi magno labore sistendos. Haud minora imminent pericula à

à nimiâ humiditate aëris. Quando etenim particulis aqueis ſcatet, omnia madore ſuo emollit & laxat, fibras inertes movendiſque liquoribus impares efficit, humores inſenſibili tranſpiratione avolandos humiditate ſuâ reprimit : hinc catarrhi, tuſſes, gravedines, coriſæ, peripneumoniæ nothæ, alvi fluxus, cruditatum collectiones, rheumatiſmi, innumerique quos recenſere morbos longius foret. Nec neceſſe eſt ut in referendis incommodis, quæ ab aëris diverſis qualitatibus pendent, diutiùs immoremur. Ex dictis ſatis intelligitur quænam ſit ipſius vis in corpora etiam ſana, quânam potentiâ noſtras tum ſolidas tum fluidas afficiat partes, ipſarumque ſtatus præſentes in planè contrarios mutare valeat.

I V.

EX POSITIS variis effectibus quos variâ ſuâ temperie in corporibus noſtris producere poteſt aër, demonſtratoque nullas eſſe partes in quas actionem ſuam non exerat, facilè judicatu eſt quid in variis morbis efficere queat, ſive ad illorum levamen, quando ità accomodabitur, ut cauſæ morbi adverſando ad ipſum profligandum dirigatur; ſive ad eorumdem exacerbationem, ſi neglectus vitiosâ indole partium vitia adaugendo morbos ſimul foveat. Etenim in omnibus ferè morbis nocere vel prodeſſe poteſt. In inflammationibus v. g. quando exſiccatus ſanguis præ nimiâ viſciditate & denſitate canales pervadere nonpotens obſtructiones inflammatorias procreat; quando vehemens ſævit febris, lingua ariditate rigens vix ſeſe movet, cutis exſiccata moleſto calore uritur, aut ſudore vi expreſſo ſicque noxio perpetuò diffluit; quam exitialis ſit calidior & ſiccior aer & quot malorum cauſa eſſe queat quis neſcit? hoc adaugentur nonmodo ægrotantis anxietates, graviorique moleſtiâ afficitur, ſed ingraveſcit etiam morbus. Diſſlantur ſcilicet reliquæ fluidiores moleculæ, quæ vehiculum liquoribus adhuc ſubminiſtrabant, inſpiſſantur magis ac magis partes ingurgitatæ, tolliturque reſolutionis ſpes, calore gravi exſiccatæ arent fauces, ſæpiſſimè in cruſtas attolluntur, aphthiſque exulcerantur. Ipſe etiam æger quod ſibi neceſſarium eſt expoſtulare cernitur, ſtragula etenim procul rejicit ſi fortè calorem importunum removere queat, moleſtiamque ſibi ſublevare, auram frigidiorem quâ exuſtas recreet fauces undequaque captat, membra hùc & illùc jactat quò loca calore ſuo ferventia fugiat. Hæc autem omnia ſolo aëre humidiori frigidiorique facto ſi non omnino tolluntur at certè plurimum levantur. Hoc etenim laxatur cutis, fibrarum remittitur rigiditas, ſiſtuntur ſudores qui ægrum ſolummodò debilitabant; aut ſi rigidiori cute areſcebat corpus, refrigerato humidiorique aëre benigna excitatur tranſpiratio, grato ſani aëris ſenſu reficiuntur organa reſpirationis, facilior ducitur ſpiritus, in ſingulis partibus ſervatur mollities ad functionum exercitium requiſita, liberior fit liquorum circuitus, promptior morbi ſolutio, ſicque plurimùm ægroto nonmodo ſolatii affertur, ipſius anxietates demulcendo, ſed etiam auxilii morbum ſublevando. Si verò in inflammationibus ſiccis ſiccior & calidior tam noxius ſit aër, e contrà in morbis à nimio ejus frigore & humiditate ortis multùm juvat. Quando etenim à coercitâ tranſpiratione repulſus humor ad interiora refugit & catarrhos, coriſas, quæ vulgò dicuntur *fluxiones*, producit, quid utiliùs eſt quàm aëre calido ſiccoque tranſpirationem revocare? diſſipatâ hac humorum ſuperflua quantitate quâ onerabantur partes, morbus quaſi ex ſe ipſo ſolvitur; redeunte fibrarum tono diſcutiuntur infarctus, impediturque nimius ad glandulas humorum appulſus. Hæc deniquè ſtatuenda videtur regula, aëris quem ſpirat æger ità moderandam eſſe temperiem, ut morbi naturæ adverſans ad ejus expugnationem conferre poſſit juxtà illud axioma, *contraria contrariis curantur*, ſed inſuper affirmari poteſt cavendum eſſe ne prava quadam qualitate morbo accomodetur; tunc enim nonmodo non prodeſſet, ſed multùm etiam noceret, morboque vires addendo ipſius curationem neceſſariò retardaret, forsàn & impediret.

V.

Ex omnibus autem morbis in quibus aër conducere aut nocere poteſt, præcipuam mereri videntur attentionem febres cum eruptione, petechiales nempe, varioloſæ, morbilloſæ, &c. Nullæ etenim ſunt ægritudines in quibus quam exitiatis ſit ipſius malè moderata temperies, faciliùs cerni queat. Calidior ut frigidior æqualiter ferè nocet, ille vires debilitando quibus ad exteriora propelli poteſt humor excernendus; hic habitu corporis conſtricto puſtularum exitum impediendo. Quot enim ægrotantes hiſce morbis periere frigori intempeſtivo ſeſe exponendo? Scilicet materies jam excreta ſanguini denuò immixta ad viſcera delata eſt, quæ perniciosâ ſuâ labe infecit. Nec minùs malè rebus ſuis conſulunt qui horum calamitates fugere geſtientes, ſtragulis vel graviſſimis, ignibus & quocumque poſſunt modo calorem enormem excitando, in aliud malum incurrunt. Viſæ ſunt etenim variolæ quæ feliciter excretæ proſperè ſuccedere videbantur, ob nimium cubiculi aëris calorem derepente repreſſæ ad interiora ceſſerunt, mortemque promptam attuliſſent ni ſparsâ per conclave aquâ moderatus fuiſſet aëris fervor. Hoc ab illius robore & elatere repetendum eſſe quis inficias iverit*? Enim vero ſi qui corpore & viribus valent nimiis caloribus aliquando deficiunt, & in ſyncopes, intercepto ſpiritu, incidunt; quid mirum ſi eodem modo in hiſce ægrotis, deficiente reſpiratione, ſiſtatur circulatio, puſtulæque motu liquorum jam non ſuſtentatæ deprimantur. Hinc intelligitur quantùm in talibus morbis ad aëris ſtatum attendendum ſit, ne nimiùm incaleſcat, nimiùmvè frigeſcat, cum ex utraque parte par immineat malum: in cæteris vero morbis ne cauſam illorum adaugeat.(a) Quomodo enim reſtitui poſſet læſum functionum exercitium? Quomodo tolli morbus? ſi dum medicus ope medicamentorum cauſam morbi aggrederetur illâ aëris perverſa temperie perpetuò fota, ſuam partibus labem perpetuò inferret. Aër ipſe ſolus morbos ferè quoſcumque producere valet; inflammationes parit, febres excitat, excretiones ſiſtit & adauget, fibras emollit & laxat, liquida attenuat & condenſat, denique vix ulla eſt mutatio quam partes noſtræ tum ſolidæ tum fluidæ ab ipſius actione non experiantur, ullum incommodum quod ab ipſo non perpetiantur, ulla noxa quam corporibus noſtris inferre non poſſit: quid igitur ab ipſo non metuendum? Si jam facto morbo cauſa jam non generanda ſed conſervanda ſit, malum non producendum ſed fovendum, labes non inferenda ſed enutrienda, denique partes vitio jam contracto non afficiendæ ſed lædendæ ſint. Creſcet magis ac magis morbus adauctâ cauſâ, latiuſque ſerpente veneno experiçuloſo lethale fiet malum, ſtatuſque ægrotantis triſtis anteà, jam deſperabitur.

* *Vid.* Sydenham de Variol.

(a) *Vid.* Lomm. Buran. de curand. febrib. ſect. 2â. ubi varias aëris qualitates temperandas eſſe contendit.

Ergo in morbis curandis favet aëris ægrum ambientis ritè moderata temperies.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus - Franciſcus Vandermonde.	*M. Franciſcus - Felicitas Cochu, Scholarum Profeſſor deſignatus.*	*M. Joannes-Baptiſta Silva, Saluberis Conſilii Regii Socius, & Sereniſſimi Principis Condæi Medicus ordinarius.*
M. Jacobus-Albertus Hazon.	*M. Ludovicus - Florentius Bellot.*	*M. Joannes-Baptiſta Thomas Martineng.*
M. Claudius-Carolus De Jean.	*M. Joannes de Dieſt.*	*M. Franciſcus Pouſſe.*

Proponebat Pariſiis ABRAHAMUS-FRANCISCUS-LEO COL DE VILARS, Inculiſmenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU. Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.